

mino Nicolao, aut vxori eiusdem, vel aliquibus aliis dare, alienare, vendere vel impignorare potuisset vel non. Nos . . . eo prenominati Iwan locumtenens vicebanatus, ac Iudices, vna cum nonnullis Nobilibus Regni Crouacie, nobiscum in Iudicio consedentibus, habito inter nos maturo consilio et deliberatione, secundum consuetudinem Regni Crouacie (sic) inuenimus et deliberauimus ac consuetudinem Regni Crouacie dedimus: Quod prenominatus quondam Magnus dominus Nicolaus de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrussie etc. Comes, Regnorum Dalmacie et Crouacie Banus, possessiones in Comitatu Bussan, sibi pignori obligatas, filio suo moderno Nicolao, vel eiusdem filii sui, seu aliis quibusuis (et) quibuscunque voluisset, liberam habuisset facultatem dandi, vendendi, alienandi et pignori obligandi. In cuius rei testimonium atque robur presentes, cum appensione sigilli nostri, duximus roborandas. Datum Tininij feria secunda proxima post festum Epiphaniarum domini, anno eiusdem domini Millesimo CCCCTricesimo quinto. Nos itaque predicti Andree, suis iustis et legitimis petitionibus annuere cupientes, predictas litteras sanas et integras reperiendo, ipsius Iwani et Iudicum Nobilium eorum autentico sigillo consignatas inuenimus. Quas transscribi et accopiare fecimus, nil hadendo nec diminuendo, nostroque sigillo Capitulari in locum ueritatis (?) sibi exhibendo cum appensione duximus roborandas. Datum in predicta nostra ecclesia Cathedrali in die sancti Dyoni. Anno Domini quibus vt supra.

(*Sigillum Capitulare pendens*)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 1593. N. 20.

CXXXVII.

Anno 1439.

Matko de Thalovec, Regni Dalmatiae, Croatiae et totius Slavoniae Banus, jus Statuum et Ordinum Regni Slavoniae Prothonotharium eligendi confirmat.

Nos Matko de Talloucz, Regnorum Dalmacie, Croacie ac totius Sclauonie Banus, memorie commendamus, tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod nobis feria secunda proxima ante diem diei medie Quadragesime, Crisii vna cum Regni Nobilibus existentibus, iidem Nobiles inter alias dispositiones per nos cum ipsis ibidem pro communi bono factas, nobis studuerunt declarare: Quod nempe ipsis multorum Regum Hungarie Dominorum ipsorum naturalium, et Banorum eiusdem Regni Sclauonie, nostrorum scilicet predeces-